UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Messis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

PROVENTUS. Cap. VI.

L. Livinei Reguli numiſma. Ad verbum ab Artem. lib.c.25. Spica in divinis quid & ſtipula. Matt. c.9.

QUæ vero ſpicæ duæ, dolio vuis pleno in earum medio conſtituto, ſpectantur in numo L. Livinei Reguli, proventum bonorum, fructuumq; copiam & feracitatem ejus viri magiſtratu uberem oſtendit: nam ubi conſultum eſt iis, quæ cibo potuq; inſerviunt, annona omnis large populo videtur erogata. Usq; adeo vero ſpicæ proventus indicia ſunt, & apud Conjectores reperias eum, qui natas in aure ſpicas per nocturnam imaginem videre viſus fuerat, & delapſa inde granis manibus collegerat, fratris mox demortui hæreditate locupletatum: ſpicis quippe proventus, aure fraternitatem oſtendentibus: germanas enim invicem eſſe aures manifeſtum eſt. In Divinis quoque literis ſpicæ, hoc eſt, meſſis eodem modo proventum hieroglyphice ſignificant, dicente Domino, *Meſſis quidem plurima, operarii autem pauci admodum.* Humanam enim meſſem uredini, procellisq; objectam, cupiebat ille in horrea æternitatis ſuæ transferre. Heſychius Hieroſolymitanus pro meſſe accipit virtutes, quæ ex Divini verbi ſemine oriuntur. At ſtipula pro nullius boni operis fructu ponitur: unde Propheta lamentatur: *Hei mihi, ut factus ſum ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe.* Idem paleæ, ut illud, *Paleas autem uret igni.*

Eſaiæ 17. Luc. 3.

ÆSTAS, ET FRUGUM INVENTOR.

Cap. VII.

Li.1. Meta.

SAne plerumq; invenias æſtatem ipſam per ſpicarum faſciculum ſignificari. Unde apud Naſonem: *Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta ferebat.* Nonnumquam vero meſſem ipſam, alias & frugum inventorem.

MESSIS. Cap. VIII.

Iulii menſis ſymbolum.

SEd enim Heſiodus in Theogonia, falcem pro meſſe poſuit, ubi dicit, τεύξας μέγα δρέπανον, ſubjiciunt interpretes. Drepanon meſſis tempus. Hinc juniores ſpicas duas, manipulos ſpicarum interdum duos in transverſum adclinatos, pro menſe Julio ponere excogitarunt, quod nimirum eo menſe meſſis omnis triticea demetatur.

TEMPUS. Cap. IX.

Macrob. li. 1. c.8. Eclog. 9. Macrob. li. 1. c.10.

ET quod pertinet ad falcem, quoniam tempus omnia metit exſecatq; & aufert, ideo falcem Saturno attributam nonnulli volunt. κρόνος enim Saturnus, cui tempora ſubjiciuntur, quæ voce eadem Græci ſola adjecta aſpiratione pronunciant, quippe κ in χ verſa. In hanc ſententiam Maro, *Omnia fert ætas.*

AGRICULTURA. Cap. X.

ALii falcem agricolationis totius ſignum arbitrantur, quod inſigne Janus Saturno dederit à meſſe & fertilitate, cui poſteritas rationem etiam inſerendi, & artem faciendi ſurculos fert acceptas. unde Saturnum à ſatu Latini vocitarint.

FRATRES ARVALES. Cap. XI.

Spicea corona hieroglyphica.

ALioqui ſpinea corona fratres Arvales indicabat, quam primam Acca Laurentia Romulo ſacrificanti dedit.

SACERDOTES ARVORUM. Cap. XII.

Inſtituti, ut arva fruges ferrent.

SI vero ſpicea corona vitta alba alligata eſſet, ſacerdotes arvorum ſignificabant, quorum illud erat inſigne. At Cereris caput ſpicis redimitum ſpectavimus, in numis quibusdam, ab altera quorum parte ſpica magna eſt nonnunquam ſola, nonnunquam cum caduceo & lituo, eo quo retulimus ſignificato.

PAX. Cap. XIII.

QUin & pacis ſimulachrum cum ſpinis figuratur: unde Tibullus,